

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 164

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ut meliora perpetuitatis inveniatur munera, hic per murum fidei beatorum secutus vestigia, in hora quando Ihesus Christus Dominus suos evocavit fragili de corpore, omnium valebit per sanctorum suffragia remissionem percipere peccaminum, quando fugatis hostibus crudelissimis defenditur ab ignitis spiculis, ut mereatur in requie eterna una cum fidelissimis gaudere per secula. Quapropter ego in Dei nomine Udilbertus presbiter indignus, ob amorem Dei et remedium anime mee dono simul et trado ad altare sancti Willibrordi et ad canonicorum inibi [Deo] famulantium stipendia, in cuius honore et regimine ab ineunte puericia canonicè adultus atque enutritus sum, ubi vir venerabilis Reginnerus comes pastorali fungitur officio, hoc est in pago Muslacensi in comitatu Liuthardi in villa vel marca Puthilingin cum casticiis et domibus superimpositis vineam unam, necnon et omne predium quod a dominio nobilium virorum condigna pecunia per manus illustrium scilicet Meripodonis et Irmingaudi legitime comparavi in confinio vel marca que vocatur Ombringa, Fulbach, Widen-Bruchka. Per illos itaque memoratos illustres ab hodierna die quicquid in his locis precio seu donatione bonorum acquisivi, ad iam dictam casam Dei et ad canonicorum usus, tam terris, araturibus, pratis, pascuis, silvis, campis, aquis aquarumve decursibus, exitibus et regressibus necnon et mancipiis ibidem aspicientibus ad integrum trado atque transfirmo, ut ibidem omni tempore proficiant in augmentis. Et e contra tantummodo diebus vite mee necnon et Ade filieque eius per beneficia in precaria de rebus eiusdem sancti monasterii et fratrum recepimus in eodem pago Muslacensi et comitatu Liuthardi in villa vel marca Summingen mansum dominicatum vel quicquid illuc aspiciere vel pertinere videtur, tam terris, pratis, pascuis, silvis, campis, aquis aquarumque decursibus, vineis, molendinis, piscationibus, exitibus et regressibus necnon et mancipiis ibidem aspicientibus, et id ea ratione ut nullis preiudiciis ex hoc eis ecclesieque sue neque vendendi neque commutandi easdem res omnino abstrahere videamur. Post nostrum vero quandocumque Deus voluerit de hac luce discessum res ecclesiastice suprascripte cum omni emelioratu, quicquid addere vel amplificare poterimus, ad iam dictum cenobium Dei absque ulla retractione valeant reverti. Si quis vero, quod fieri nullatenus credo, ego, quod absit, aut ullus heredum vel successorum meorum seu quelibet opposita vel extranea persona contra hanc traditionem [venire] conatus fuerit aut eam infringere vel emutare voluerit, divine subiaceat ultioni. Actum VIII anno Ludowici regis <sub Berengavdio>.